

4. *Quodnam solatium restat tempore tonitru & fulguris?*

Resp 1. Cogitandum, tonitru & fulgur esse à DEO, *Exod. 9. Job. 36, 23. Psal. 77, 19. Psal. 18, 14.* 2. Sunt res naturales, purgando aëri subservientes, & fertilem pluviam secum trahunt, *Jer. 10. 13.* Signum impiis est iræ divinæ, non piis, *Exod. 19, 16. Dan. 10. 6.* 4. Agant pœnitentiam, sicuti populus tempore Samuelis per tonitru se à peccatis ad Deum vertebat. *1. Sam. 12.* 5. Imprimis caveat quivis ab abusu tonitru in imprecationibus. 6. Fidant pii Deo, qui novit suos conservare in igne, *Daniel. 3.* & recordentur effati Caroli V. Imperatoris laudatissimi: Ceram non tangit fulgur, & liquefacit, sed ferrum, i. e. Humilibus Deus parcit, & deponit potentes de sede. 7. Cogitemus semper de adventu Domini ad judicium, qui in tonitru & fulgure describitur *1. Thesalon. 4. cap.*

## IN LOCO

## DE PROVIDENTIA DIVINA.

## THEOREMATA.

1. **Q**uid sit, patet definitione sequente: *Quod sit actio Dei, qua res universas & singulas, liberè, sapienter, potenter ac benè, in sui nominis gloriam & hominum salutem, conservat & gubernat.*
2. *Definitum est ἐγγεφυον Judith. 9, 5. At προνοίας vox vix offenditur in libris Canonicis V. T. Extat autem in Apocryphis, ut Sap. 14. v. 3. & c. 17. v. 2.*
3. *Habet vero synonyma sua, quod alias dicatur visio Dei, Gen. 22, 8. Conservatio Dei, Colos. 1, 17. Dominium cœli & terræ, Actor. 17, 24. vivificatio, sustentatio, Actor. 17, 28. Gestatio, Hebr. 1. v. 3. Cura, 1. Petr. 5, 7. Augustinus vocat administrationem, regimen, gubernationem, lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 12. providum motum, occultam sapientiam, potentiam. 1. 5. cap. 20. Nemesis προμύθειαν ἐπιμέλειαν.*
4. *Genus Definitionis est Actio, quia non est otiosus rerum Deus spectator.*
5. *Sunt autem actionis hujus tres gradus: 1. πρόγνωσις qua scit Deus, quæ à se & aliis facta sunt, fiunt & futura sunt, siquidem omniscius est, & in immutabili vñv omnia intuetur. Damascenus 1. 2. orth. fid. e 32. Confer Scripturæ dicta Gen. 15, 13. c. 18, 19. Dan. 13, 42. Rom. 8, 29. divinam præscientiam testantia, & adde Augustinum lib.*